

ac s. Communione refecti aliquam Ecclesiam seu publicum Oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, peramanter impertitus est; facta quoque potestate singulas supraenuncias Indulgentias tam a Benedicto PP. XIII. quam ab eadem Sanctitate Tua concessas, animabus in purgatorio detentis applicandi. Praesentibus in perpetuum valituras.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congr. Indulg. die 2. Aug. 1851.

Loco + Sigilli.

A. Archiep. Prinzivalli Substitutus etc.

#### URBIS ET ORBIS.

*Ex audiencia Sanctissimi die 12. Maii  
1851.*

Ut magis devotio erga Deiparam semper Virginem in fidelium cordibus incrementum suscipiat, praesertim vero per efficacissimam sanctissimi rosarii deprecationem, in qua mysteria quoque nostrae reparacionis recoluntur, Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX. humillimis precibus tum vicarii generalis tum generalis procuratoris totius Ordinis Praedicatorum benigne inclinatus, prævia confirmatione singularum Indulgentiarum, quae per glorio-sos praedecessores suos tam sodalibus confraternitatum sanctissimi rosarii, quam universis christifidelibus rosarium recitantibus fuerant elargitae, ipsis sodalibus caeterisque fidelibus rosarium recolentibus novas Indulgentias elementer impertitus est; indulxit nempe ut confratres et consorores cujuscumque sodalitatis sanctissimi rosarii canonice erigendae, qui in aliqua Ecclesia in sequentibus festivitatibus, Conceptionis scilicet, Nativitatis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis, Praesentationis et Assumptionis B. M. V.,

itemque in duabus tantum Quadragesimae feriis sextis ad uniuscujusque libitum eligendis, neconon Resurrectionis D. N. J. Chr. Dominica, in ejusdem Ascensionis festo ac in Dominica Pentecostes devote visitaverint ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, Indulgentiam plenariam incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis duodecim praedictorum dierum consequantur, dummodo iis diebus vere poenitentes confessi sacraque Communione fuerint refecti. Decem vero annorum, totidemque quadragenorum Indulgentiam semel in die lucrificiendam, sodalibus aliisque christifidelibus, qui corde saltem contrito tertiam rosarii partem devote sive Domi sive in Ecclesiis seu publicis vel privatis Oratoriis conjunctim recitaverint, peramanter est elargitus. Iis tandem fidelibus hujusmodi sodalitati haud adscriptis, qui praefatam tertiam rosarii partem ter saltem in qualibet hebdomada eodem modo recitare pro more habuerint, Indulgentiam plenariam in ultima singulorum mensium Dominica acquirendam, si vere poenitentes ut supra confessi ac sacra Synaxi refecti aliquam Ecclesiam seu publicum Oratorium visitaverint ibique juxta praememoratum finem per aliquod spatium temporis oraverint, benigne concessit. Voluit autem eadem Sanctitas Sua, ut omnes et singulae praefatae Indulgentiae non modo animabus in purgatorio existentibus applicabiles, sed etiam perpetuis futuris temporibus sint valituras absque ulla Brevis expeditione.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congr. Indulg.

Loco + Sigilli.

F. Card. Asquinius Praefectus.

Aloys. Colombo Secr.

(Correp. de Rome 1837. Ed. II. n. 74. p. 344.)

Vd.: Rosar. (Bened. quae benedicta?) Rosar. Hierosol.

Beatissimo Padre. Il Sacerdote Missionario Anselmo Collomb della Dioecesi di Tarantasia in Savoja prostrato ai piedi della S. V. umilia i seguenti dubbi per ottenere una devisione:

*Dubbio I.* Monsignor Bouvier nel Trattato delle Indulgenze dice, che tutti quelli, che assistono alle Processioni del SSmo Rosario, che si fanno nelle prime Domeniche di ciascun mese lucrano l'Indulgenza di sette anni, e sette quarantene per ciascuna volta. Ora di questa Indulgenza non de fa menzione l'Opuscolo intitolato il Rosario di Maria SSma, Roma p. 159. Quindi si domanda: 1. Se questa Indulgenza è autentica. 2. Se è accordata in favore di tutti i fideli che assistono alle dette Processioni, o solamente ai Confratelli del SSmo Rosario?

*II.*: Nel suddetto Opuscolo, *Il Rosario di Maria SSma* si legge p. 173: Che l'Altare de Rosario è privilegiato per tutti i Sacerdoti ascritti a questa Confraternita senza aggiungere altro. Ma altri autori aggiungono, che l'Indulgenza dell' Altare privilegiato non puo applicarsi che solamente ai Confratelli Defonti del Rosario, ovvero a tutta sorta di fideli?

*III.*: Indulgenza di cinque quarantene accordata ai Confratelli del Rosario, che prononciano il SSmo Nome di Gesù alla fine di ciascuna Ave Maria, è questa accordata per ciascuna volta, in cui si pronuncierebbe, e come?

*Tarantasiensis. Decretum.*

*Ex Audiencia SSmi. Die 14. Apr. 1856.*

Huius Sacrae Indulgent. in Apostolico Vaticano Palatio habita die 31. Martii

1856 supraenunciatis propositis dubiis a Presbytero missionario Anselmo Collomb e Tarantasiensi dioecesi, Emi Patres, voto unius ex Consultoribus auditio respondendum esse duxerunt

*Ad I.*: Affirmative etiam pro non Confratribus.

*Ad II.*: In voto Consultoris.

*Ad III.*: Juxta votum Consultoris. Facta itaque per infrascriptum S. C. Secretarium opportuna de praemissis relatione SSmo Dno Nostro Pio PP. IX. in Audientia diei 14. currentis Aprilis, Sanctitas Sua praefatam responsonem quoad primum dubium approbans, tum altaris privilegiati SSmi Rosarii nempe gratiam pro omnibus christifidelibus favore Confratrum Sacerdotum, de quo in secundo dubio, tum nempe Indulgentias, de quibus agitur, pro qualibet, vice SSimum Nomen Jesu in fine cujuslibet angelicae Salutationis in recitatione rosarii a Confratribus invocatum fuerit, lucrari, de quo in tertio dubio, in perpetuum intelligendum esse benigne declaravit atque auctoritate seu apostolica concessit. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretario Sac. Congr. Indulgentiarum.

Loco + Sigilli.

F. Card. Asquinius Praefectus.  
A. Colombo Secr.

Ita reperitur in regesto authographo adservato in Secretario Congregationis Indulgentiarum, cum quo praesens copia collata pene et ad verbum concordat.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria Sac. Congr. Indulg. die 13. Dec. 1856.

*A Archiep. Prinzivalli Substitutus.*  
(Anal. J. P. 1857 p. 2714.)

**9) Indulgentias lucrandi modus.**

Vd.: *Via crucis* (Indulg. lucrandi modus, decr.: *Galliarum*).

*Ordinis Praedicatorum.*

Beatissime Pater. Procurator generalis Ordinis Paedicatorum humiliter exponit, fel. rec. Benedictum XIII. Pont. max. per decretum S. Congreg. Indulgentiarum de die 13. Apr. 1726 concessisse omnibus utriusque sexus Christifidelibus Rosarium vel saltem tertiam partem ejusdem recitantibus pro qualibet oratione dominica et pro qualibet salutatione angelica Indulgentiam 100 dierum, declarando, quod ad effectum lucrandi praedictas Indulgentias requiratur, ut Rosarium de more fuerit benedictum a fratribus Ordinis Praedicatorum. Nunc vero dubium occurrit, an hujusmodi Indulgentias lucentur Christifideles, qui Rosarium in communi recitant, absque eo, quod manu teneant Rosarium, quod tamen habet una sola persona. Ad evelendam quamecumque dubitationem et ut facilius reddatur exercitium tantae devotionis, Orator Sanctitatem Vestram supplicat, ut declarare dignetur, omnes utriusque Christifideles Rosarium vel saltem tertiam partem ejusdem, ut supra in communi recitantes lucrari supradictas Indulgentias a Benedicto XIII. concessas, licet manu non teneant Rosarium benedictum, ac sufficere, quod una tantum persona ex communitate illud habeat. Et ita.

Porrectis a P. Procuratore generali Ordinis Praedicatorum huic S. Congregationi Indulgentiis sacrisque reliquis praepositae supraenunciatis precibus, Emis Patribus in generalibus comitiis apud Vaticanas Aedes die 14. Decbr. 1857 habilis propositum fuit dubium dirimentum: An scilicet consulendum sit Sanctissimo, ut concedere dignetur, ut omnes utriusque Christi-

fideles Rosarium vel tertiam saltem ejusdem partem in communi recitantes lucentur Indulgentias a fel. rec. Benedicto PP. XIII. concessas, licet manu non teneant Rosarium benedictum, ac sufficere, ut una tantum persona, quaecumque ea sit, ex communitate, illud manu teneat eoque in recitatione de more utatur? Qui, audito prius consultoris voto ac rebus mature discussis, responderunt: „Affirmative.“

Facta itaque per infrascriptum S. C. Secretarium SSmo D. N. Pio PP. IX. relatione fideli in audiencia die 22. Januarii 1858 Sanctitas Sua precibus ejusdem P. Procuratoris generalis inclinata benigne annuit, addita tamen expressa conditione, quod fideles omnes, caeteris curis semotis, se componant pro oratione facienda unacum persona, quae tenet coronam, ut Rosarii Indulgentias lucrari queant.

Datum Romae ex Secretaria S. C. Indulgentiarum.

L. + S.

F. Card. Asquinius Praefectus.

Alois. Colombo Secretarius.

(Anal. J. P. 1858 p. 1226.)

**10) A quibus lucranda?**

Parochus Ecclesiae curialis R. dioecesis Briocensis, item Rector Congregationis B. M. V. in minori seminario ejusdem dioecesis S. C. I. demisse supplicant sequens dubium declarare: An quando possessor corona vel crucis, cui applicatae sunt Indulgentiae viae crucis, preces prescriptas recitat una cum aliis, qui sibi non habent sive coronam sive crucem tali privilegio ditatam, possint adstantes et simul recitantes easdem Indulgentias lucrari, quas lucratur possessor corona seu crucis?

S. C. resp.: Negative, absque speciali facultate.

Die 29. Maii 1841.

(Corresp. de Rome 1848 — 49. Ed. II. p. 48.)

**11) Missa.***Fesulana.*

Procurator generalis ord. s. Hieronymi Fesulanæ civitatis, petit licentiam celebrandi missam de rosario in Ecclesiis et Capellis sui ordinis sacra-tissimo rosario dedicatis. Et S. Congregatio mandavit celebrari missam de B. Virgine loco missae rosarii. Item supplicavit posse dici *Gloria in excelsis* in missis B. Virg. etiam extra diem Sabbati, et S. Congregatio respondit: *Nihil.*

Die 20. Decbr. 1828.

(Anal. J. P. 1863 p. 209.)

*Orien.*

Capitulum et Canonici terrae Latiani Orien. dioecesis asserentes pro eorum Ecclesia adesse onera celebrandi missas rosarii relicta a testatoribus, et novissime prohibitam fuisse dictam missam rosarii Presbyteris saecularibus aliisque regularibus praeter fratres Dominicanos, supplicarunt responderi, quid in hoc casu servandum sit, ut testatorum voluntates adimpleantur?

Et S. C. juxta mentem Sanctissimi mandavit celebrari aliam missam de B. Virgine loco missae rosarii.

Die 20. Decbr. 1628.

(Ibid. p. 209.)

**12) Missa votiva.**

Cum sicut dilecti filii Superiores et fratres ordinis minorum s. Francisci de observantia reformatorum nuncupatorum civitatis s. Jacobi de Cuba in Indiis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga ss. rosarium

B. M. V. gerunt devotionis, affectu, unam missam ss. rosarii ejusdem B. M. V. cum cantu per dies quindecim continuos incipiendo a dominica prima Octobris, celebrare posse summopere cupiunt, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apost. dignarumur. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes modernis et pro tempore existentibus fratribus ordinis minorum s. Francisci de observantia reformatorum nuncupatorum civitatis praedictae, ut in posterum per dies quindecim continuos incipiendo a prima dominica Octobris, in qua festum ss. rosarii B. M. V. cum cantu (non omissa tamen conventionali de sancto occurrente, quatenus ex dispositione rubricarum sit dicenda) celebrare libere et lice pos-sint ac valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 3. Febr. 1789.

(Bull. r. Continuatio t. VIII. p. 258. Ed. Rom. 1843.)

*Pius PP. VI.*

Cum, sicut dilectae in Christo filiae Abbatisssa seu Priorissa et moniales asceterii s. Catharinae ordinis Praedicatorum civitatis Limanae Nobis nuper exponi fecerunt, ipsae pro sua spirituali consolatione in earum Ecclesia singulis anni Sabbatis atque etiam Sabbato sancto post expletas functiones missam propriam ss. rosarii B. M. V. jam pro dicto ordine adprobatam, quae incipit: *Salve radix sancta etc.*, cum cantu celebrari facere summopere cupiat,

Nos dictas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut im-posterum in praedicta Ecclesia singu-

lis anni Sabbatis non privilegiatis dumtaxat et dummodo non occurrat festum dupl. 1. vel 2. classis servatisque rubricis praedicta missa propria ss. rosarii B. M. V., ut praefertur adprobata, cuius initium: *Salve radix sancta etc.*, cum cantu celebrari possit et valeat apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 25. Febr. 1791.  
(Bull. r. Contin. t. IX. p. 4.)

### 13) Modus recitandi.

(Calculi.)

Vd.: Rosarium (Off., decr. Urbis et Orbis n. 16 etc. 27).

### 14) Novum non inducendum.

Non posse Franciscanos Tolosae novum rosarium sub titulo *Seraphici* inducere praedicare et docere nec tabellam exponere, in qua B. V. M. det rosarium s. Francisco et s. Clarae, prout etiam fieri prohibuit et servari mandavit. n. 2270 die 15. Martii 1664; n. 2301 die 23. Nov. 1664.

*Confirmat. per Breve Alexdr. VII. de die 28. Maii 1664, quo etiam vetita est expositio tabellae, in qua B. V. M. det rosarium s. Francisco et s. Clarae.*

(Bull. mag. rom. t. VI. p. 205. ed. Luxenb. 1727.)

### 15) Officium.

URBIS ET ORBIS.

Concessionis lectionum propriarum secundi nocturni Officij SS. Rosarii B. M. V. pro universa Ecclesia.

Discursus Rmi D. Promotoris Fidei Prosperi Lambertini.

Eme et Rme Domine.

1. Petitur approbatio lectionum propriarum secundi nocturni officij san-

ctissimi rosarii B. M. V. pro universa Ecclesia, et mihi uti Fidei Promotori demandatur, ut meum super dictis lectionibus proferam sensum; sed antequam id efficiam, operae pretium esse censeo nonnulla praemittere circa officium sanctissimi rosarii B. M. V., et omisso, quod celeberrimum ejus festum colitur in sacro ordine Praedicatorum cum antiphonis et lectionibus propriis secundi nocturni et cum lectionibus pariter propriis per totam octavam, ut videri potest in dicti ordinis Breviario, et transitum faciendo ad eas officii concessiones in honorem ss. rosarii B. M. V., quae factae sunt extra religionem Dominicanam.

2. Occurrit primo concessio facta a san. mem. Gregorio XIII., qui in sua constitutione undecima, bullarii tomo secundo, celebrandum statuit hoc festum qualibet prima dominica mensis Octobris cum officio novem lectionum sub duplice majori in omnibus illis Ecclesiis, in quibus erectum reperietur aliquod altare vel capella rosarii.

3. Occurrit secundo concessio facta a san. mem. Clemente Papa X. per suas literas apost. in forma brevis expeditas die 26. Septbr. 1672, quibus indulxit, ut in omnibus regnis et provinciis subjectis dominio regis catholici recitaretur officium SSmi Rosarii a Clero saeculari et regulari cum lectionibus tamen secundi nocturni non propriis sed desumptis ex sermone s. Augustini et cum oratione propria, etiamsi in Hispaniarum Ecclesiis non adasset altare seu capella rosarii.

4. Occurrit tertio, ut a caeteris interim abstineam concessionibus, insignis concessio facta a venerabili Dei servo Innocentio PP. XI. pro universo dominio Magni Hetruriae; indulxit enim, ut in eo recitaretur officium

SSmi Rosarii cum lectionibus secundi nocturni desumptis ex breviario dominicano, uti colligitur ex decreto S. Congreg. die 10. Febr. 1685.

5. Occurrit denique quarto extensio officij SSmi Rosarii ad Ecclesiam universalem cum oratione propria et lectionibus secundi nocturni desumptis ex sermone s. Augustini, quae facta fuit die 3. Octbr. 1716. Cum etenim, instante Leopoldo, dum vixit, romanorum rege in imperatorem electo et ad relationem Emi Domini Cardinalis Barbarini usque de anno 1700 facta fuisset ab hac S. Congregatione memorata extensio ad universalem Ecclesiam et ob superventam Innocentii PP. XII. infirmitatem et obitum ejusdem postmodum secutum non potuisset ipsi fieri relatio decreti editi, uti dictum est, ab hac S. Congregatione, res protracta est usque ad annum 1716, quo tempore, cum fausta ad urbem delata fuissent victoriae ab exercitu augustissimi Caroli VI. Romanorum regis in imperatorem electi de innumeris Turcarum copiis in Hungaria relatae, necnon liberationis civitatis et arcis Coreyrensis ab immanissima Turcarum oppugnatione, et ipse tamquam fidei promotor scripturam exarasse, in qua praedicto Summo Pontifici Clementi Papae XI. post obitum Innocentii ad Summum Pontificatum erecto nedum exposui, quoad apta supervenerat occasio extensionis officij SSmi Rosarii ad universalem Ecclesiam, et sic consequenter approbationis decreti ante multos annos editi ab hac S. Congregatione, sed in memoriam etiam revocavi enixas et supplices reiteratasque preces intermedio tempore ipsi exhibitas pro dicti approbatione, tum a P. Antonio Cloche tunc ordinis Praedicatorum meritissimo Generali, tum, quod magis est, a SSmo Domino Nostro tunc in cardinalitia dignitate constituto: „Piu volte il padre gene-

rale de' dominicani ha esposto le sue umilissime suppliche a vostra beatitudine per l'approvazione della grazia predetta, ed il Signor Cardinale Orsini ha fatto lo stesso, e specialmente quando venne a Roma per passare dalla chiesa di Frascati a quella di Frascati a quella di Porto, incaricando con molto vigore al Promotore della Fede di tener viva la memoria di quest' affare, parlandone a vostra Santità in buona congiuntura.“ Sanctitas tandem Sua annuit petitis mandavit que officium proprium sub ritu duplice majori nec missam Rosarii die illius festo, nempe dominica prima Octobris, ab universis Christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, singulis annis recitari et respective celebrari et in Breviario et Missali rom. apponi, uti legitur in decreto dicti Pontificis impresso in ejus Bullario p. 554.

6. Ab anno 1716, quo hoc decretum editum est, usque ad hanc diem recitatum fuit in universa Ecclesia officium SSmi Rosarii cum oratione propria et lectionibus secundi nocturni ex sermone s. Augustini et aliis ex officio B. Mariae ad Nives desumptis, cumque SSmo Dom. Nostro Benedicto PP. XIII. supplicatum fuerit pro approbatione lectionum secundi nocturni recitandarum in Ecclesia universa in honorem SSmi Rosarii B. M. V. et in his lectionibus reassumpta fuerint omnia, quae habentur in lectionibus secundi nocturni, existentibus in Breviario dominicano, et gratiōe, uti dictum est, extensis ad universum dominium magni ducis Hetruriae, et alia quaedam fuerint superaddita et harum precum examen fuerit a Sanctitate Sua remissum ad hanc S. R. Congregationem, quaeritur in praesenti, quid sit statuendum et quale consilium sit Sanctitati Suae praestandum; et quia impossibile esset proposito quaesito respondere, non exhibitis lectionibus, pro quarum ap-

probatione exoratur, hinc est, quod ad advertendam scripturarum multipliciter, opportunum et respective necessarium existimavi hic praedictas inserere per extensem lectiones, et sunt haec, quae sequuntur.

#### Lectio I.

7. Cum Albigenium haeresis sacro-sanctae matris Dei dignitati potissimum infesta in regione Tolosatum impie grassaretur, s. Dominicus, qui eo tempore Praedicatorum ordinis fundamenta jecit, in eam haeresim debellandam totus incumbens, ob idque beatissimam Virginem assiduis precibus interpellans, ab ipsa benigne monetur, ut Rosarium omnis mentis fervore praedicit, velut singulare ad evertendas haereses et vitia extinguenda praesidium. Est autem Rosarium sive psalterium sacra quedam formula precani Deum in honorem B. V. Mariae, qua per quindecim salutationis angelicae decades interjecta singulis oratione dominica, quindecim praecipua Redemptionis humanae mysteria piis meditationibus percensentur. Coepit ergo deinceps incredibili cum animarum fructu saluberrimum SSmi Rosarii institutum per s. Dominicum promulgari, quem ejusdem institutorem auctoremque fuisse Leo X., s. Pius V., Gregorius XIII., Sixtus V. ac reliqui Summi Pontifices usque ad haec tempora apostolicis diplomatis profitentur. Tu autem Domine etc.

#### Lectio II.

8. Porro inter inumeros SSmi Rosarii fructus contra haereses ac christiani orbis hostes merito navalis ea victoria celebratur, quam anno Domini 1571 die 7. Octobris, quae dominica fuit, ad Naupactum Achaici sinus de Turcarum classe longe potentiori Summus Pontifex s. Pius V. ac christiani principes reportarunt, nam cum ea die

sodalitates SSmi Rosarii per universum terrarum orbem erectae, juxta earum laudabilia instituta, solitas preces et processiones haberent, eas, pie creditum est, pro christiana classe plurimum profuisse. Illud quoque ipsum Gregorius XIII. nedum apost. literis aperte testatus est, verum ut gloriosissimae Virg. Mariae sub invocatione SSmi Rosarii perennes gratiae perpetuo agerentur, decrevit, ut qualibet prima Octobris dominica per universi orbis partes, in iis tantum ecclesiis, in quibus altare vel capella ejusdem SSmi Rosarii, sub duplicitis majoris officio perpetuo celebraretur. Quod et Clemens VII. apost. auctoritate confirmans publicis Ecclesiae tabulis haec omnia inscribenda praecepit. Caeteraque Summi Pontifices innumeris fere indulgentias SSimum Rosarium recitantes ac ejusdem sodalibus concedere. Tu autem Domine etc.

#### Lectio III.

9. Summus autem Pontifex Clemens XI. perpendens inter caeteras victorias in Hungariae regno de Turcarum immanitate ejusdem B. Virginis ope partas insignem fuisse nuperriam ab exercitu Caroli VI. in Romanorum imperatorem electi de innumeros eorumdem Turcarum copiis anno 1716, die festo dedicationis s. Mariae ad nives, et civitatem arcemque Cyrenensem ab immanissima ipsorum Turcarum oppugnatione feliciter liberata, eo ferme tempore, quo Confratres SSmi Rosarii publicam processionem in alma Urbe, magno populi concursu ac singulari devotione ejusdem Summi Pontificis jussu peragentes, pias ad Deum preces effundebant ad validissimum Delparae Virginis Patrocinium in auxilium christianorum humiliter implorandum, in perenne tot beneficiorum monumentum, officium et missam SSmi Rosarii in qualibet prima

Octobris dominica recitandum ac respective celebrandum ad universalem Ecclesiam benigne extendit. Novissime tandem Summus Pontifex Benedictus XIII. haec omnia in Breviario romano apponi mandavit. Gloriosissimam ergo Virg. Mariam peccatorum advocatam sub hoc saluberrimo ritu sincero cordis affectu assidue ac impense veneremur, necnon dulce illud melos angelicum devote iterantes dicamus: Ave gratia plena Dominus tecum. Tu autem etc.

10. *Hae sunt lectiones, pro quarum approbatione et extensione ad universam Ecclesiam supplices preces exhibentur*, adeoque ad earum examen descendendo et initio deducto a facilioribus, a secunda videlicet et tertia lectione primo inquirendum est, an in facto subsistant ea, quae in iisdem enarrantur, et secundo, an supposito, quod subsistant in facto, inseri mereantur in lectionibus pro universa Ecclesia.

11. *Et in eo quidem, quod attinet ad facti subsistentiam, ea omnia quae enarrantur in secunda lectione de celebri victoria anno 1571, adversus Turcas a christianorum classe reportata*, et de his, quae statuta fuerunt a Gregorio XIII., desumpta fuerunt ex ejus Bulla XI. (Bullar. tom. 2.), ita ut nulla quoad factum superesse videatur difficultas. En verba Bullae: „Nos itaque, qui non minora beneficia quotidie a Deo optimo maximo accipimus, inter quae illud singularissimum superiore anno ab ineffabili ipsius clementia nobis concessum fuit, ut Turcarum classis et numero longe superior et praeteritis elata victoriis a christianorum classe in virtute Domini Dei Sabaoth decertante, die 7. Octobris non longe a corinthiaco sinu, penitus devicta et quassata fuerit, quam nempe victoria universum populum christianum ab impiissimi tyranni fau-

cibus et divino numine eruptum fuisse inficiari nemo potest etc.“ Et paulo post: *Animadvententes quoque eadem die septima, quae tunc fuit dies dominica prima dicti mensis Octobris, fraternalites omnes sub dicti Rosarii nuncupatione militantes per universum orbem juxta earum laudabilia instituta et consuetudines processionaliter incedentes pias ad Deum preces effusisse, quas per intercessionem Beatissimae Virginis ad dictam victoriam consequendam multum profuisse pie credendum est, operaे pretium nos facturos esse existimavimus, si ad tantæ victoriae coelitus procul dubio concessae memoriam conservandam et ad gratias Deo et Beatissimae Virginis agendas festum solemne sub nuncupatione Rosarii prima dominica mensis Octobris singulis annis celebrandum institueremus, quocirca etc. tenore praesentium decernimus, ut de caetero perpetuis futuris temporibus, qualibet prima die dominica mensis Octobris per universas orbis partes, in iis videbilec Ecclesiis, in quibus altare vel capella Rosarii fuerit, ab omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus festum solemne sub nuncupatione Rosarii praedicti, sub duplice majori officio, ad instar aliarum solemnitatum festivitatum celebretur et sanctificetur, eadem die officium de Beat. Virgine novem lectionum more ecclesiastico persolvatur et recitetur.“*

12. Concordatque Card. Baronius auctor contemporaneus, qui in notis ad Martyrologium rom. diem 7. Octobris haec habet:

„Nostra memoria anno salutis 1571 fidelium classis SSmi Domini Nostri Pii V. Pontificis ac catholici Hispaniarum regis Philippi necnon inclytæ Venetorum reipublicæ foedere coacta gloriosam ac cunctis saeculi memorabilem de Turcis christiani nominis infensissimis hostibus ad Echinadas

insulas captis hostium triremibus centum et octoginta, caeteris dissipatis, victoriam reportavit fractosque nostorum animos in eam spem erexit, posse inimicos nostros (modo in unum christianorum animi viresque convenient) nullo negotio profligari atque deleri, praesertim si (ut tum in his actum est) praecipuam in Domino et non in armis spem ponamus peccatorumque sordibus expiatis purae ad Deum preces offerantur ac Dei Genitricis auxilium piis votis sedulo imploretur.“ Et hujus ejusdem insignissimae victoriae mentio habetur in lectionibus propriis, quae recitantur in officio s. Pii V.

13. *Simile judicium quoad facti subsistentiam ferendum est tum de indulgentiis, quae a Summis Pontificibus concessae dicuntur recitantibus Rosarium et sodalitatibus Rosarii, tum de officio et missae ad universam Ecclesiam extensa a san. mem. Clemente PP. XI., ob insignem victoriam anno 1716, adversus Turcas reportatam et ob liberationem civitatis et arcis Coreyrensis ab immanissima eorumdem Turcarum oppugnatione, summarium quippe indulgentiarum apost. auctoritate roboratum fuit a Venerabili Dei servo Innocentio XI., 31. Julii anno 1697, dum frater Antonius de Montros Generalis Ordinis Praedicatorum Magister et deinde Archiepiscopus Compostellanus praedicto Generalis munere fungebatur, uti colligitur ex sumario typis cammeralibus impresso et per compendium relato in opusculo de indulgentiis et jubilaeo recenter edito a fratre Francisco Van Raust quaest. 12. pag. 187. et caetera alia, quae respi- ciunt celebrem supranarratam victori- am et arcis Coreyrensis liberationem, leguntur in decreto san. mem. Clementis XI. extensivo officio et missae SSmi Rosarii ad Ecclesiam universalem, ibi:*

„Sanctitas Sua animadvertis nuperam insignem victoriam ab exercitu augu- stissimi Caroli VI. similiter romanorum regis in Imperatorem electi de innumeris copiis in Hungaria relatam die 5. Aug. proxime praeteriti, hoc est festo dedicationis s. Mariae ad Nives, ac eo ferme tempore, quo confratres soda- litatis rosarii publicam processionem in hac alma urbe, magno populi con- cursu et singulari devotione peragentes pias ad Deum preces pro Turcarum depressione effundebant atque ad id validissimum Deiparae Virginis patro- cinium in auxilium christianorum hu- militer implorabant, obtentam fuisse; necnon insuper perpendens, civitatem et arcem Corcyrensem paulo post, vi- delicit in octava festi Assumptionis Sanctissimae Virginis praedictae ab immanissima eorumdem Turcarum op- pugnatione feliciter liberatam fuisse adeoque nedum praeclera haec bene- ficia ejusdem Deiparae, ut pie cre- dendum est, intercessione nobis a Domino collata fuisse, verum etiam sub illius praesidio (praesertim christi- fidelibus rosarium praedictum, juxta adhortationes dudum jussu Sanctitatis Suae factas quotidie, ac devote reci- tare pergentibus) feliores in dies eventus christianis armis sperare merito posse etc., Decretum Congregationis praedictae benigne approbat ac Of- ficium proprium sub duplicitate majori, necnon Missam rosarii die illius festo, nempe Dominica prima Octobris ab universis christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, singulis annis celebri ac in breviario et missali ro- mano apponi mandavit.“

14. Adeo ut, si quid est, quod in hisce duabus postremis lectionibus la- borare posse videatur quoad facti sub- sistentiam, reducatur ad ea verba, quae habentur in secunda lectione, ubi post relatam institutionem festi factam a Gregorio XIII. dicitur „quod

et Clemens VIII. apostolica auctoritate confirmans publicis Ecclesiae tabulis haec omnia scribenda preecepit“; cum enim nomine ecclesiasticarum tabularum veniat martyrologium romanorum, in martyrologio romano ad diem septi- mam Octobris habentur haec verba: „Eadem die commemorationis s. Mariae de Victoria, quam Pius V. Pontifex Maximus ob insignem victoriam a christianis bello navali, ejusdem Dei Genitricis auxilio ac ipsa die de Turcis reportatam, quotannis fieri instituit“; sed haec verba in dicto martyrologio legebantur ante Clementem VIII., cum legantur in martyrologio Romae im- presso a Cardinali Baronio anno 1586 et Clemens VIII. fuerit ad Summum Pontificatum electus anno 1592.

15. *Et in eo, quod spectat ad alteram assumpti partem, in qua inquirendum est, an supposito quod relata in hisce postremis duabus lectionibus subsistant in facto, eadem inseri mereantur in lectionibus pro universa Ecclesia, nullam haberem profecto difficultatem. Quemadmodum etenim filii Israel liberati de servitu Aegyptiaca quotannis in memo- riam liberationis festum celebrabant, sic pietati christianorum consonum esse videtur, celebritatem quotannis agere seu quotannis gratias reddere de victoriis adversus Turcarum tyran- num Deiparae auxilio reportatis, uti legitur in Bulla Calixti Papa III., in qua jussit, perpetuis futuris temporibus 6. die Augusti coli in universa Ecclesia festum transfigurationis domini- nae ad recolendam victoriam christi- fidelibus divinitus concessam anno 1456, adversus Maumethum, tunc, cum castrum Belgradi in regno Hungariae ad ripam Danubii situm, immani ob- sidione solutum est, initio praelio sub strenuo duce Joanne Vaivoda, et pae- sente s. Joanne de Capistrano, qui Vexillum Sacratissimae Crucis pree-*

*manibus habens christianos ad victo- riem et ad mortem pro Christi nomine subeundam intrepide adhortatus est, uti colligitur ex Bulla Calixti III. im- pressa apud Raynaldum ad annum 1457 n. 57. et seq., ubi n. 77. haec ad rem nostram verba leguntur:*

„Igitur cuncti per orbem terrarum constituti fideles animas et corpora pro fidei christiana munimine pree- parare et debitas gratias Salvatori Nostro pro tantis beneficiis a Deo susceptis exsolvare diemque victoriae e coelo nobis concessae diem laeti- tiae et liberationis a filio superbiae, venenosu serpente Turca foedissimo annis singulis celebrare studeant pie, solemniter et devote, quemadmodum filii Israel de servitute Aegyptiaca li- berati sempiternum diem celebrem recolentes Deo laudes reddebant et gratiarum debitas actiones.“ Quod ipsum argumentum prosequitur etiam Gregorius XIII. in institutione festivi- tatis SSmi Rosarii, de qua in sua Constitutione undecima Bull. tom. 2., ibi: „Monet apostolus in omnibus gratias agere, monent quoque sacra- rum literarum historiae insignia Dei beneficia, tum ut ei, a quo accepta sunt, merite referantur gratiae, tum ut fideles, quibus collata sunt, illarum memores ad divinum cultum magis in dies excitentur, solemnibus anni fe- stivitatibus celebranda esse, quod cum multoties institutum fuerit, tum vero maxime cum Deus patrum nostrorum populum suum a servitute Aegyptiaca per manum fortis liberavit.“ Et ad rem, de qua nunc agitur, maximopere facere videntur ea, quae leguntur in sexta lectione Officii proprii s. Stephani Hungariae regis pro Ecclesia univer- sali ad diem 2. Sept., ibi: „Ejus autem festum Innocentius XI. Pontifex Maxi- mus quarto 9. Sept. ob insignem victoriam ab exercitu Leopoldi I. roma- norum electi Imperatoris et Hungariae